

DE DEFENSORIBUS CIVITATUM.

1.55.1

Impp. Valentinianus et Valens AA. Senecae defensori.

Si quis de tenuioribus ac minusculariis rebus interpellandum te esse crediderit, in minoribus causis, id est usque ad quinquaginta solidorum summam, acta iudicialia conficias, scilicet ut, si quando quis vel debitum iustum vel servum, qui per fugam fuerit elapsus, vel quod ultra delegationem dederit postulaverit vel quodlibet huiusmodi, tua disceptatione restituas, ceteras vero, quae dignae forensi magnitudine videbuntur, ordinario insinuato rectori.

D. V k. Iul. Tyrici Valentiniano et Valente AA. conss.

[a. 365]

1.55.2

Idem AA. ad Probum pp.

Defensores civitatum non ex decurionum seu cohortalium corpore, sed ex aliis idoneis personis huic officio deputentur.

D. III non. Nov. isdem conss.

[a. 368? 370? 373?]

1.55.3

Idem AA. et Gratianus A. ad senatum.

Utli ratione prospectum est, ut innocens et quieta rusticitas peculiaris patrocini, id est defensoris locorum, beneficio fruatur, ut apud eum in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem.

D. IIII id. Aug. Hierapoli Valentiniano et Valente AA. utrisque IIII conss. [a. 373]

1.55.4

Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. Theodoro defensori civitatis.

In defensoribus universarum provinciarum erit administrationis haec forma et tempus quinquennii spatii metiendum: scilicet ut imprimis parentis vicem plebi exhibeas, descriptionibus rusticos urbanosque non patiaris adfligi, officialium insolentiae, iudicum procacitati salva reverentia pudoris occurras, ingrediendi, cum voles, ad iudicem liberam habeas facultatem, superexigendi damna vel spolia plus petentium ab his, quos liberorum loco tueri debes, excludas, nec patiaris quicquam ultra delegationem solitam ab his exigi, quos certum est nisi tali remedio non posse reparari.

D. XI non. Ian. Constantinopoli Arcadio et Bautone conss.

[a. 385]